



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 3. Vtrum Christus sit Caput omnium hominum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ut aliena membra possit sibi vnire, suamque vitam & spiritum impertiri, & suum corpus efficere: quâ similitudine libentissimè vtitur Apostolus.

2
Christus non est membrum Ecclesia.
Dices; Si Christus est caput: ergo etiam est membrum Ecclesie. Respondeo; Quidam admittunt; & sic intelligit D. Thomas illud 1. ad Corinth. 12. v. 27. Vos estis Corpus Christi, & membra de membro. Sed melius negatur sequela: quia membrum ex sua ratione postulat, ut aliquid accipiat ab alijs membris; quod est cuiusdam imperfectionis, quæ non conuenit Christo, qui nihil à suis membris accipit. Hæc autem imperfectio non includitur in ratione capitis. Nec est absurdum, nomen speciei dici de aliquo metaphoricè, cui non conuenit nomen generis; quia fieri potest, ut nomen generis imperfectionem insinuet, quæ non ita designatur nomine speciei. Quò fit ut Christus dicatur Leo, non tamen bestia, vel brutum. Locus autem ille 1. ad Corinth. 12. Vos estis membra de membro, sic intelligi debet: Vos estis membra ab alijs membris dependentia: Nam populus ab Episcopis, Episcopi ab Apostolis, Apostoli à Christo pendet: iuxta illud ad Ephes. 4. v. 16. Ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem iuncturam submissionis &c.

3
Spiritus sanctus est Cor Ecclesia.
Obijcitur Secundò: Cor etiam habet vniuersalem influxum in omnia membra, etiam in ipsum caput: ergo Christus debet dici Cor Ecclesie potius quàm caput. Respondeo, Etsi etiam cor dici possit, non tamen potius quàm caput: tum, quia caput ex vfu linguarum, significat principem cuiusvis congregationis: tum, quia influxus capitis in membra, est nobilior, quàm influxus cordis: tum denique, quia caput habet manifestam eminentiam, influxum, & directionem reliquorum membrorum, cor autè occultam. Quam ob causam metaphora cordis, potius applicatur Spiritui sancto, qui Ecclesiam inuisibiliter viuificat, & regit.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus sit Caput hominum tantummodò quoad animas, An etiam secundum corpora?

4
Christi Corpus est etiam Caput hominum.
Respondeatur, Etiam secundum corpora est caput illorum. Ratio est, quia vita spiritalis, quæ à Christo tamquàm à capite in homines diffunditur, non sistit in anima; sed etiam in corpora dimanat: partim, quatenus bona opera, quæ ex gratia procedunt, per corpus administrantur; partim, quatenus animæ beatitudo in corpus redundabit. Vide D. Thomam. His adde, Christum etiam secundum corpus esse caput nostrum, & influere tum in animas, tum in corpora nostra: tum, quia Sacrificio corporis & sanguinis sui nos redemit, & vitam spiritalem promeruit; tum, quia in futura vita corpora nostra resuscitabit, eisque immortalitatem & claritatem impertiet; ut patet Ioan. 6. v. 54. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam eternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die; nempe propter vnitatem corporis eius, quam habemus per sacram communionem.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus sit Caput omnium hominum?

5
Diversi. modè est Caput omnium hominum:
Respondeatur esse caput omnium hominum, exceptis damnatis; sed diuerso modo. Nam perfectissimè est caput hominum beatorum: his enim perfectissimam vitam spiritalem, idque inseparabiliter infundit. Deinde viatorum, qui fidem & charitatem, id est, sensum & motum ab ipso accipiunt; quamuis non perfectissimè, nec inseparabiliter. Tertio, eorum qui dumtaxat fidem habent. Quarto, qui nihil horum; sed capaces tamen sunt, & interdum quid præuium ad hæc accipiunt. Damnaati autem nihil tale ab ipso possunt accipere; & ideo nec actu, nec potestate sunt eius membra. Excipe dñ. natos.

D V B I V M.

Quomodo Christus ut Caput, vitam spiritalem in sua membra diffundat?

6
1. ut causa meritoria.
2. ut efficiens.
Respondeo; Primò, per modum merentis; quia omnibus secundum exactam iustitiam, hanc vitam spiritalem promeruit; etiam ijs, qui ante Incarnationem extiterunt: vnde etiam illorum Caput est. De quo vide Augustinum in Psal. 36. v. 25. in illud: Iunior fui, etenim senex. Secundò, per modum causæ efficientis, & quodammodo principalis, sed respectu illorum qui post Incarnationem extiterunt: Nam suâ autoritate, quibus, quando, & quantum vult, de suis donis largitur; siue humanitas physicè concurrat ad gratiæ productionem, siue non. Et hoc vult D. Thomas art. 1. ad 1. Et colligitur aperte ad Ephes. 4. v. 7. Vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Ioan. 5. v. 21. Sicut Pater suscitauit mortuos & viuificauit, ita Filius quos vult viuificat. Sicut enim à diuinitate pendet totus ordo rerum naturalium; ita à Christi humanitate, pendet totus ordo donorum supernaturalium in genere humano.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus sit Caput Angelorum?

7
Christus est Caput Angelorum, quia illorum Princeps.
Respondeatur affirmatiuè. Notandum est, Christum secundum humanam naturam etiam esse Caput Angelorum; non tamen ita strictè & propriè ut hominum: quia non infundit illis vitam spiritalem. Vnde angelica multitudo non propriè dicitur corpus Christi, aut Ecclesia Christi: nec Angeli propriè sunt Christi membra, aut Christi sponsa; ut rectè docet Scotus in 4. dist. 49. q. 4. art. 2. Sed laxiore metaphora dicitur illorum Caput, quatenus passim in Scripturis caput vocatur, is qui est Princeps. ut 1. Regum 15. v. 17. vbi Samuel ait Saùli: Caput in tribus Israël factus es. 1. Corinth. 12. & ad Ephes. 5. v. 23. Vir est Caput mulieris. Christus enim secundum naturam humanam est Princeps omnium Angelorum; & hac ratione dicitur illorum caput.